



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDXXXIV.

VD18 90392167

Sed an Sponsalia dissolvuntur per subsequens votum simplex perpetuæ
castitatis in sæculo servandæ?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41032

Sed an sponsalia dissolvuntur per subsequens votum simplex perpetuae castitatis in seculo servanda?

Resp. Alii asserunt, quia putant sponsalia fieri sub hac tacita conditione, *nisi me Deus ad sanctiorem vitam rationem vocaverit.* Alii cum S. Antonino negant, tum quia id neque ex natura rei, neque ullo jure probari potest; nec fiunt sub conditione praedicta, sed solum nisi status religiosus eligatur; nam nullo jure nec traditione ostenditur inesse sponsalibus hanc tacitam conditionem: tum quia ex c. 5. *qui Clerici*, &c. *Fæminæ*, quæ Matrimonium promisit, Pœnitentia imponitur de fide mentita, quamvis post sponsalia votum castitatis emiserit: tum quia Deus non acceptat promissionem rei prius promissæ & debitæ alteri, tanquam factam in damnum & contra jus illius. Sic obligatio dandi domum promissam Petro diviti non solvitur per votum dandi illam hospitali. Igitur, inquit, qui post sponsalia vovit castitatem, nec potest ab altera parte obtinere remissionem sponsalium, tenetur Matrimonium inire, & debitum petenti reddere, sed ei petere non licet, quia valet votum in his omnibus quæ injuriosa non sunt: unde Sponsalibus vel Matrimonio dissolutis tenetur servare continentiam.

Porro ex communi votum simplex castitatis vel religionis sponsalia præcedens, facit illa irrita, ex c. 6. *qui Cleric. vel nov.* quia tunc sunt pro-

promissio rei illicitæ faciendæ ; nempe ineundi Matrimonium, & executio est peccatum.

Not. Ad dissolvenda Sponsalia requiritur auctoritas judicis Ecclesiastici in his casibus. 1. Si moraliter non constet de sufficientia vel veritate causæ dissolvendi : aliàs enim dissolvens se committeret probabili injustitiæ periculo ; imò est injustitia in dubio privare alterum jure per illa acquisito. 2. Si Sponsalia sint publica, causa autem dissolvendi occulta, ex c. 7. *de desponsat.* nam debitus ordo, & evitatio scandali id exigunt.

CAPUT II.

De Natura, & proprietatibus Matrimonii.

Q. I. Quid est Matrimonium?

Resp. Matrimonium generatim, prout præscindit à ratione Sacramenti, est Maris & Fæminæ conjunctio legitima individuum vitæ consuetudinem retinens, ex c. 11. *de presumpt.* sive est contractus legitimus, quo vir & fæmina sibi mutuò tradunt & acceptant potestatem corporum in ordine ad actum generationis, & se obligant ad se mutuò juvandum, & perpetuò cohabitandum. Sumptum pro Sacramento, est conjunctio supra dicta gratiæ significativa & collativa : sive est contractus modo dictus gratiæ significativus & collativus.

Sumitur etiam vel pro ipso contractu, quo legitimi personæ corporum dominium, ad usum conjugalem, mutuò tradunt & acceptant,